

felicitate æternā, cum se dedit occasio, balbutire non defui. Inter eos baptismo lustravi grandiores natu duos, qui statim expiravere; infantes tres, quorum duo pariter paulò post mortui. Alterius infantuli corpus petieram à Patre, more nostro sepeliendum. Annuit ille, ceremoniisque adesse voluit cum multis è suā gente. Obstupescere scilicet barbari, ritus nostros mirari, hoc nostræ in ipsos voluntatis testimonio mirifice capi in relig^{em} ch^{am} benè affici, me ut eos adirem etiam atque etiam rogare. Hæc narrare habui à decimā augusti an. 1694 ad 24 augusti an. 1695.